Szymonowicz Szymon:
In nuptias
Simonis Birkowski
et
Sophiæ Mozdzarska

Zamosci in typographia Academiæ excudebat Martinus Lenscius Acad. Typogr. Anno Domini MDXIV (1614.)

3.

ERGO Bircouius blando concessit amori?
Coniugis & sese contulit in gremium?
Non illum Pæan potuit felicibus herbis
Seruare, vt liber lectulus esset ei,
Non Musæ. ast teneræ potuit iucunda puellæ,
Purpureis facies æmula sola rosis;
Atq; ebori, aut niueo facies simul æmula lacti,
Possessum, placito nectere seruitio.
Gaudeat vt cupidum nomen captare mariti,
Et spernat vacuo secubuisse thoro.
Et medium festa quærat se ostendere pompa.
Pompa, quam lætus conglomerauit Hymen.
Dicamus bona verba; pias iam venit ad aras
Virgo, puellarum concomitata choro,
Et matrum. iustæ sobolis quas optima cura
Excitat, humanum ne genus intereat,
Imò perennetur propter connubia sancta.
Nam nisi se matrum conferat huc opera.
Fluxa puellarum cessent lentissima vota,
Aut dilabantur deteriore via.
Huc ades & tu sponse, tibi iam magna sacerdos
Verba præit, iam te ad fortia vincla vocat.
Qualia nulla dies demat tibi, nulla potestas,
Hoc mortis fuerit solius arbitrium.
Parcite, sed mortis, vel solum dicere nomen,
Hic, „ vbi formosus gaudia iungit Hymen,

 Vitæ,

Vitæ, quin potius longissima tempora vitæ
Optemus, sunt hæc omina coniugij.
Cernitis? vt roseo vultum perfusa pudore,
Auroræ qualis fax rosea antè nitet.
Sponsa verecundos terræ demisit ocellos?
Fallor? an & lacrimis commaduêre genæ?
Non sunt tristitiæ, non sunt hæc signa timoris;
Lætitiæ ingenuum verius indicium,
Intus quæ tacita sese dulcedine prodit.
Proditur á flammis ignis vt ipse suis.
Nec tibi nō tremulam concessum est porgere dextram
Sponse, etiam vestro corde pauor micuit.
Et frontem peruulgauit sudorq; madorq;,
Linguaq; non potuit verba diserta loqui.
Quin hærens, titubansq;, ægrè sua vota recepit.
Audendum in medijs est quoq; læticijs.
Non ego te trepido dubium quasi pectore damno,
Nec parui crimen fingere posco animi.
Aut iura inuitus quia tu diuina capessas.
Mæstior è cœlo spiritus iste venit.
Qui postquam arrectus se sensibus insinuauit,
Atq; ignis iecit mystica tela sacri.
Cor salit, attonito trepidant præcordia motu,
Et tota extra se mens vaga surripitur.

Paulatim tandem redeunt virtusq; vigorq;,
Pectusq; atque omnis vena quieta silet.
Proijce te supplex ante hæc altaria Diuûm,
Esse solent Diui supplicibus faciles.
Et crede, è cœlo rerum pulcherrima dona
Præberi, è cœlo copia manat opum,
E cœlo vitæ splendor portusq; senectæ,
E cœlo optatæ pacis amica quies,
Et cornu fortunarum gazæq; medulla,
Et procul auditi nominis altus honos,
Ipsaq; amicitiæ longè sanctissima iura,
Queîs nihil in vita dulcius, aut melius.
Natorumq; olim fructus sobolesq; beata,
Funditur è cœlo quicquid vbiq; boni.
Atq; ipsum tandem cœlum, & commercia Diuûm,
Panditur & superum regia tota patens.
Dicamus bona verba, redit formosus ab aris
Sponsus, ab hisdem aris sponsa venusta redit.
Non illum iam peruulgat sudorq; madorq;,
Non illam lachrimæ, non pudor ambiguus.
Quin risum meditari, & iam splendescere vultum
Incipiunt; risu ludere gestit Hymen.
Ecquid te similis tenuit labor inclyte sponse?
Quando alto quis se flumine proijcere,

Et tranare cupit ripæ vlterioris adoram.
Non primo aſpectu non trepidare poteſt,
Et fluctus exhorrere & tentamina prima,
Et ſenſu gelidæ pænè rigere nouo.
Donec ſe tandem tentato audatior alueo
Jntulit, & iacto corpore fregit aquas.
Tum verò ancipitesq; motus vanosq; pauores
Deſerit, & tota brachia mole ciet,
Jntentus magnum nando ſuperare laborem.
Principij tanti eſt alea iacta prior.
J quo te genius duxit tuus, i pede fauſto,
Atq; æui faciles percipe delicias.

Simon. Simonides Bendonſki
in Nuptiis Simonis Birkowſki
& Sophiæ Mozdzarſka Faciebat.